



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXII. Rationes pro Optimatum, & populari regimine infirmas esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Multa per se, multa per suos animose prudenter, magnifice, caste agere potest, quæ famam honesti, & regni firmitatem conciliant.

Alexander Magnus homo turpissimus Darii coniuge, ac filiabus, pudice asseruatis magnam laudem assecutus est. Claudius levis, stolidus, timidus, magnitudine imperii multo tempore tutus fuit; nam tantam potestatem etiam in contemptissimo homuncione veneratur, ita initio regni sane gratissimum fuit. Quod si in optimatibus ista dedecora deprehensa fuerint, sine metu vulgantur ab æmulis, avidissime accipiuntur à populis, & cum nihil sit, quo auctoritas retineatur, summo apud omnes sunt contemptui, idque adeo etiam magis in Democratia, cum vitia inter domesticas fordes nata, clauum reipublicæ inuadant, & mimos ac scurras potius, quam rectores populis ostentant.

Monarchia
vires vnita.

§. 17. Non ratio. Monarchia vires vnitas habet, alia reipublicæ genera dissipatas. Themistocles inuidet Aristideæ, & eius trophæis angitur, Pompeiū vrit Cæsaris gloria, & vel Galliarum amissione locorum perderet, Cato Scipionem allatrat, Hanno Hannibalem, maluntque victoria carere, quam ciuem victoria gloriosum cernere. Hinc nunquam Respublica optimatum, aut popularis sibi ^{aut ipsius} sufficiensque est, sed cum opus est potentiam exercere, cum tumultu aut bello petitur, Monarchiam designant. Bello ducem vnum præficiunt: in periculo dictatorem consul dicit. Hanc igitur partem concludamus, ac nobiscum statuamus. Vnum in mundo Deum, vnum solem, vnum in vna reipublica ducem esse oportere. Sed nunc tamen eos qui aliter sentiunt audiamus.

CAPVT XXII.

Rationes pro optimatum, & populari regimine infirmas esse.

Tyranni
Monarchiæ
insamant,

Potestas legibus
paret.

Francica
lex egregia.

§. 1. **V**T multa contra regum, principumque imperia à viris doctis, & politicis adferantur, faciunt tyrannorum importuni mores, & vitia, quasi ego Mezentios, Phalaridas, Neronas, Veilinos, ac similia humanæ naturæ dehonefamenta defendam, quorum memoriam ne quidem hære in principum animis oportebat. Itaque principem benignum, moderatum, prudentem, & frugum malo, quæ nobilium aut plebis dominatum. Tyrannum detestor, absoluta Scytharum, Persarum, Turcarum imperia, & *παυσαίδια* repudio, temperatam legibus, astrictam moribus, fultam optimatum auctoritate, obnoxiam iustis populi boni voluntatibus Monarchiam prædico, obligatam reciproco iureiurando fidem probo. Et vt verbo dicam. Hanc reipublicam probo, in qua quam plurimum boni potest princeps, & quam minimum mali, in qua leges plus possunt, quam potentia, in qua cum rege æquo iure priuatus contendere potest, in qua cadere causa, & possessione priuata deici summa potestas non iudicat sua maiestate indignum. Magna est illa, ac plane regia dignitas Francorum, quod cum de possessionibus lis oritur, æquo iure respondeant subditis, eumque regem qui primus legem tam salutarem tulit, supra regnum fuisse existimo. Hæc si recte perpendimus; pleraque iam argumenta contra Monarchiam concidisse reperiemus.

Sed nunc optimatum & plebis, vt videri volunt, defensores causam dicant.

§. 2. Primo obiicitur nobis auctoritas diuina, Deus enim Iudæis regem petentibus grauissime ira-

scitur. Audi, inquit Deus, i. Reg. 8. 7. Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt, à die qua eduxi eos, de Aegypto, vsque ad diem hunc: sicut dereliquerunt me, & seruerunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi. Et cap. 11. 16. Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam faciurus est dominus in conspectu vestro. Nunquid non mensus triticum est hodie. Inuocabo dominum, & dabit voces, & pluias, & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis in conspectu Domini petentes super vos regem. Et populos quoque delictum suum tempestate, & tonitru attonitus agnouit. Ora, inquit, pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur, addidimus enim vniuersis peccatis malum, vt peteremus nobis regem. Malum igitur est regem petere, & regnum à Deo non est, nisi irato, & puniente. Et sane grauis est, quæ additur ratio. Me abiecerunt, ne regnem super eos. Cum igitur in regnum exaltatur homo mortalis, à regno Dei receditur, & rex immortalis throno suo deturbatur.

Iudæi regē
petendo pec-
carunt.

Ius regni
datum est
Iudæis.

Iudæi Sa-
muelis in-
gratissimè.

§. 3. Haud difficilis est hæc quidem in causa responsio. Diuino enim oraculo constituendi regis conceditur facultas, Deut. 17. 15. Et Gen. 17. 49. Promittitur Abrahamo fore vt ex ipso reges nascerentur, non esset autem promissionis vlla gratia, si omne regnum esset iniustum, & reges instar latronum detestabiles. Denique non iussit Israelitis ad Aristocratiam, vel Democratiam redire, sed regnum esse iussit, multosque reges insigni virtute, regnandique scientia dedit. Quid igitur petendo regem peccarunt? Primo in Samuelem Prophetam, ducemque suum ingrati erant, quem optime de se meritum, optimeque gubernantem Rempublicam, potestate se abdicare coegerunt, & regi subdiderunt. Deinde à Dei voluntate, imperioque recesserunt, cuius iussu atque auctoritate tum Samuel, tum alii iudices dati erant, quorum minor erat, quam regia potestas; nam quæuis Monarchicum hoc esset regimen, valde tamen magna erat optimatum & populilibertas, adeo vt quisque quod sibi rectum esse videbatur, id faceret. Formam Reipublicæ igitur à Deo constitutam importune mutare cupierunt. Tercio causa mutandæ reipublicæ sufficiens non fuit. Quanquam enim filii Samuelis à patre degeneres, non ambulauerunt in viis eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium, poterant tamen illi à Samuele & reipublica corrigi, de dignitate deici, iudicesque, quorum esset spectata integritas, sanctitasque, constitui, non autem necesse erat, eam ob causam, nouam Reipublicæ formam inducere. Quasi non possent & reges iudicium pervertere. Quarto, Deo diffidebant, eiusque beneficiis erant ingrati, vano enim timore Ammonitarum regem poposcerunt. Exprobrat hoc illis Samuel i. Reg. c. 12. Nunc ergo state vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris, quomodo Iacob ingressus est in Aegyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Aegypto: & collocavit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisare magistri militiæ Hafor, & in manu Christianorum, & in manu regis Moab, & pugnaverunt aduersum eos. Postea autem clamauerunt ad Dominum & dixerunt, peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruimus Baalim & Astaroth; nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruimus tibi. Et misit Dominus Ierobaal & Badan & Samson, & Barac, & Iephthe, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidetes. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset.

Deo non fi-
debant.

venisset aduersum vos, dixistis mihi; Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in nobis. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. Si timueritis Dominum, & serueritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.

Denique regem, vt habebant omnes in circuitu nationes, postulabant, vt nempe illo externo splendore oculos pacerent, atq; ad insignem potentiam, licentiamque peruenirent. Magnates enim honores sibi & aulicas dignitates, populus opes, & luxum meditabatur, atque ita omnes præsentium fastidiosi, & futuris inhiantes regem petebat. Quasi nullum Gedeonem, aut Sampsonem excitare amplius Deus posset, quare grauius deliquerunt, Deum summum imperatorem suum, qui iudices, & belli duces constituit solitus erat, reiiciendo, & specialissimam eius, ac beneuolentissimam prouidentiam, qua ipse populum suum gubernabat, & suum imperio sine tributis, exactionibusque moderabatur, contemnendo.

§. 4. Secundo obiciunt. Prudentia maior est in multis: apud principes summa est penuria veritatis. Præstat igitur multorum consiliis, quã vnus, quantumvis prudentis iudicio populorum salutem fortunalesque committi.

Respondeo id quidem optandum, vt vnus multorum instar, imperet, vt reges prudentia, consilioque valeant, ac diuino imprimis Spiritu ipsi, vt Dauid, & Salomon gubernentur; verum nec semper sceptrum sapientia comitatur, & fastus purpure crebro Spiritum sanctum excludit. Hinc temeraria frequenter consilia, & sine consiliis negotiorum præcipitationes; non regni vitio, sed regum. Non tamen video, cur non & reges prudentia, vsque spectatos consiliarios habere queant, & optimatum magnam sæpe partem rudem constar esse. Nunc profecto in Germania, Italia, ceterisque Europæ regnis sapientum, & fortium virorum copiam esse eximiam videmus. Quamuis igitur principem, vel ingenium, vel eruditio, vel prudentia ex parte deficiat, de consilii tamen sententia salutaria multa decernet, quodque decretum fuerit, quia ab vno pender, celeriter effici potest, in optimatum consultationibus quamuis consensio sit, ob amulationem tamen, fauores, aliæque incommoda, tarde, & non sine altercationibus ad executionem peruenitur. Quod igitur in consiliis posset habere præcipuum multitudo suffragiorum, hoc perdit tarditas, & impedimenta rerum gerendarum.

§. 5. Tertio obiciunt. Plures difficilius corrumpuntur, in corruptius iudicat, vnus facile est in fraudem illicere.

Respondeo contrarium me capite præcedente docuisse, corruptiora fuisse in Aristocratia, & Politia, quam in regno iudicia, quod exemplo Romanorum patuit. In populari autem Republica documentum nobis dant artium omnium inuentrices, & altrices *μαθηματικὴ καὶ ἀθροῦν*, magni-virbes Athenæ, vt monstrum simile videatur, in ea virbe, in qua literarum, artiumque cultus, & Philosophia supremum verticem fixit; in eadem corruptissima, iniquissima, & vere latrocinantia fuisse iudicia. Areopagum non acuto, quamuis, & illius iudicia auctoritatem amiserint, nec iudicium tamen fidei, sed nocti, & tenebris, atque adeo reorum ignorantia integritatem suam

debet. De populi iudiciis loquor, quibus nihil turpius, perniciosius, iniustius. Qui viros bonos, iustos, etiam incognitos ostracismo afflictabant, atque exiliis agitabant. qua in re omnem barbariem cultissima Attica superauit. Causas vt optimatum, & populari iudicia facile corrumpantur, supra attuli. Nunc de munerum corruptione loquar, quæ multo facilius penetrat domos iudicum auarorum, egentium, quã regum, quorum immensæ opes faciunt, vt fordida priuatorum munera spernantur. Si enim, aliquid generositatis vel animo gerat, vel moribus præferat princeps, nemo facile ostendet se eum adeo despiciere, vt precio eum sibi coemere, atque in turpe obsequium prodendæ iustitiæ pertrahere posse gloriatur.

Cū igitur parua & mediocria dona in amplissima regum fortuna, non faciant momentum, cum difficilis sit, & periculosus ad eos aditus, sinceriora ab illis iudicia expectare licet. In ciuium penates etiam pauculi nummi, iuueni, lepusculi, calcoli, & arbuti fructus illati, Themidem, pro nefas, in suo ipsius sacrario, hoc est, Tribunalibus opprimunt. De iudicio Clodiano corrupto, constupratoque probationem ex Cicerone adducerem, nisi me verecundia retraheret. Verum ad respublicas appello. Quis hodie principes aut reges accusat quali sint munerum captores? de his, qui in minoribus subsellis ius dicunt, hæc querela est: Minor, si principes seueri sint, & rigidi iustitiæ defensores: si iudici corrupto nunquam ignoscant. Maior, si principes indiligentes sint, & lenti. Maxima, cum nullus maior magistratus inquirat, aut si censura illa detur cognatis, affinibus, obnoxiiis, & contra eos qui aliquando præhæciticem censuram gesserunt, aut, tanquam gesturi sint, timentur. Quæ fere in optimatum regimine contingunt: Vnde tot leges in viribus, cum tot fraudibus luctantur. Ne duo fratres, ne pater & filius, socer & gener in eodem iudicio sedeant.

§. 6. Quarta obiectio. Principem errantem nemo monere, multo minus reprehendere, aut docere audeat, quod si vera, & fortia quis audeat, facile assentatorum multitudine victus in alteram partem concedere, aut cedere aula cogitur. Moneri putant idem esse, quod vinci, maiestatem læsam putant, nisi quis & vitia regum laudat. At vero in alia Reipublicæ forma cū vniciq; optimatum aduersarius è regione immincat, omnia delicta non modo notantur, sed in iudicium etiam trahuntur. In omni Aristocratia sunt partes, & quia multi sunt æquales, omnes ab omnibus obseruantur, & in officio continentur; Themistoclem formidat Aristides, Æschinem Demosthenes, Pompeius Cæsarem, vtrunque Crassus, Cicero Clodium, Catonem Scipio, omnes metuunt multos, nullus periculi exors est. Metus autem ille mutuus auariciam continet, libidines cohibet, iram compescit.

Respondeo miserrimum esse principem, apud quem vera tacentur, miseriorem, cuius & mala laudantur, nec ex hac tamen causa regnum inferius Aristocratia est, aut si principum *ἀνδραγαθία*, & monitionum inscius fastus consilia sæpe respuit, non tamen defunt alia bona, quibus hoc malum compensetur, vt iam dudum explicatum est.

Verum tamen maligne & inuidiose paucorum mores in omnes conferuntur, multos reges nouimus, qui non modo tempestiuos monitores non sunt auerlati, sed eorum sinceram libertatem beneficentia prosequuti sunt, & dignitatibus ornarunt, multi etiam rumores, scommata, & vulgi dicacitatem leni, & ciuili animo tulerunt, satis esse arbitrat, si id consecuti essent, ne male facere quisquam illis posset.

Facili munerere iudex, rex non nisi ingenti corrumpitur.

Iustitia seruatur, si censuram principis iudex expectat.

Malum adiacet summa potestati moneri nolle.

Qua

Principes sæpe sapientia deficiunt.

Consiliarij multi & boni adiumento sunt principibus.

In politia pessima iudicia.

Qua quidem in re vehementer Augusti Caesaris commendanda est moderatio, qui historicum domo prohibere contentus fuit, à quo graniter laesus fuerat. Sed cum de virtutibus agam, de ciuilitatis hac laude tractabo.

Christiano
principi
multi sunt
monitores.

Vana specie
libertatis
multi prin-
cipes offen-
dunt, non
mouent.

Galba tem-
peraria au-
dacia.

Caute mo-
nendus prin-
ceps.

Principes le-
gibus pare-
at.

Nunc id certum est, principum multos esse monitores. Nam & liberos veterum, & viuientium, quauis in illis sua interdum errata legant, sine offensa tenent, & conciones sacras audiunt, & suam ipsi conscientiam examinant, atque rationem à se ipsis exposcunt. Denique nullus principum adeo infelix est, qui non multos habeat, qui libere consulant, quos aduatio, seruitusque indecora offendant. Præcipue si Christiani sint, apud quos deesse non possunt, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Gregorii, quorum libertas regnantium peccatis possit obliuiscere. Tantum monito publica, acerbæ, & exprobrationi atque irrisioni non absumit, sed medio tollatur, tum quia monitoribus sunt periculosa, tum quia potestates exasperatas ad excusationem, defensionemque erroris, ne victi videantur principes, non ad emendationem, quæ etiam in priuatorum reprehensione finis esse debet, excitant. Importuna enim libertas, stulta temeritas est, nec corrigit errantem, cum semper ipsa egeat venia, raro eam impetret. Doctor autem, & emendator principis esse non potest, quo cum præclare agitur, si supplicium euadat, si alium monendo se ipse non euertat. Laudat populus libere dicta, & principum conuictus delectatur. Sed idem de eorum qui sic agunt interitu non miratur, imo in principis lauentis postea laudes effunditur. Merito perisse eum existimat, qui sic locutus est, ut merito illi princeps irasceret. Quis probauit Galbæ temeritatem, cum in foro Iulio dictatori diceret: se de pecunia, cuius pro genere illius Pompeio Magno sponsor esset factus, appellari? Sic enim Cæsari generum occisum, & hasta subiecta bona exprobrabat, non scilicet tū Cæsari, sed mirata est tamen Roma hæc Galbæ audaciam vltimam non fuisse. Poterat n. priuatim, poterat per libellum agere. Vulgus obstupescit recòrdem Theodori Cyrenæi asperitatem, cū enim Lysimacho minitanti mortē, respondisset, Magnifica tibi res obigit, quia Cantharidis vim affectus es. Prudentes vero improbant. Quid enim attinebat tyrannum sua sponte crudelem, contumacia in rabiem agere, atque occasionem dare, ut iure lauire videretur? Et sane in crucem actus, didicit interessē, humine, an sublimē putresceret. Hæc peruersitate monendi, principes multi faciunt deteriores, qui cum laudem potius constantie, & libertatis quaerunt, quam bonum Reipublicæ, aut principum emendationem, procul à principibus arcendi iunt, quia eos exasperant, & prauissima, perniciosissimaque eos opinione imbuunt, quasi à subiectis populis non amentur, quos è contrario, & illi odisse incipiunt, multo vero magis inardeſcunt, cum intelligunt, ea quæ in se dicta sunt, iucunde & cum plausu à ciuibz accipi. Sed de monendis principibus, suo loco consilium dabo; hoc enim malo, quam mone- re principes, & n. fallor, tutius est.

§. 7. Quinta obiectio. Leges animæ sunt Reipublicæ, ubi leges vel non sunt, vel à potentioribus vexantur, vitiosa est Respublica: at principem quis legum cancellis includat?

Respondeo cum magno imperatore, ad maiestatem imperantis pertinere, ut legibus pareat. Ideoque iam ante *παύλας* in *εὐαν*, & absolutum vnus in cæteros dominatum exclusi. Nec tamen est dominatus ille grauior, q̃ sit optimatū in cæteros absolutum imperium. Nam in illo tot sunt tyranni quot capita. Quid enim illos boni ciuibz allaturos censuimus, qui in senatum coopertati irabant, ut ait Aristoteles, *ὅτι τῷ*

δύο καὶ δύο ἐσονται; quod in plebem malo animo sibi futurus. Certe Romani ciues id sentierunt, cum in montem sacrum secederent, cum consilio Coriolani non negaretur. Quæ legum erat aequitas Romæ, cū etiam ipsi tribuni multas ferrent rogationes coniunctim: quod Appius Claudius perinde esse ait. *Ὡς* si quis ei, quem famēs vigeat, veneni in ponat cum cibo, & aut abstinere eo quod vitale sit, iubeat, aut mortiferum vitali admisceat. Collige omnia quæ in Romana republica laudata sunt, & ostende vnquam senatum, optimates, imo ipsos legum scribandarum decemuiros legibus coerceri potuisse.

§. 8. Obiectio sexta. Libertas par omnibus est, ea frui quisque debet. Vbi autem plures participes sunt libertatis, ibi iustior est respublica. Ita enim sapientissimus Reipublicæ institutor Ari. lib. 2. polit. cap. 2. *ὁ δὲ πρῶτος τῶν ἰσῶν, τὸ ἀντιπροσώπων δὲ οὗτος τὰς πόλεις. ὁ δὲ δεύτερος ἐστὶν ὁ ἀντιπροσώπων δὲ οὗτος τὰς πόλεις. ὁ δὲ τρίτος ἐστὶν ὁ ἀντιπροσώπων δὲ οὗτος τὰς πόλεις.* Quapropter æqualitas, & reciproca vicissitudo seruat ciuitates, in liberis enim, & equalibus necesse est eam esse. At nusquam minor æqualitas, quam in Monarchia. Vbi vni omnia parent.

Respondeo Aristotelem pro nobis dicere sententiam. *Δύο*, inquit, *ἔστιν ὁ ἀντιπροσώπων δὲ οὗτος τὰς πόλεις.* Manifestum est eosdem semper imperare melius esse. Neque hic iniustitia illa deprehenditur, nam æqualitas non nisi æqualibus, & inæqualitas inæqualibus conuenit; contra ius enim est æqualia tribuere inæqualibus. Nec vlla est respublica in qua omnes imperare possint.

Deinde male æstimatur libertas, cum ea sub principe esse denegatur. Quidam enim libertatis extremam licentiam consecantur, quæ est extrema seruitutis initium, alii se nisi imperent, esse liberos non arbitrantur. alii ne leges quidem, & magistrum ferre possunt. Falluntur profecto. Libertas est quidem illa potestas viuendi vti velis, sed necessarium tamen est, ut iuste, & recte velis. Non est enim libertati aduersum iustum imperium neque legum scriptarum coercitio. Nulla autem ratio est, cur populum Romanum cum patritiis suis rixantem liberum dicamus, Iudæos sub Dauide, & Salomone seruos appellemus. Nec idcirco qui sub regibus sunt, seruorum appellatione censerī debent, quia à malis & iniustis regibus seruilem in modum premuntur, quia sub optimatibus nunquam æqua conditione vivere plebes. Nos in Germania proprie vrbes quasdam liberas, ciuesque liberos vocamus, quamuis à Cæsare regantur, illique summum caput, ac dominum appellent. Tam igitur peccant, qui libertatem *ἀναρχία*, & Nomadum vagabunda licentia, quam qui scelerum impunitate meriuntur.

§. 9. Obiectio septima. Principes viros, & claros è medio tollunt, quia eos timent, prudentes & integros vitæ tanquam molestos luxuriantis aulæ censores oderunt, at inter optimates, & in plebe hi soli ad fastigium euehuntur. Virtutem igitur premit vnus summa potentia, ubi vero plurimum est regimen, quia virtuti tanquam merces honor, & magistratus dantur, probitas, industria, fortitudo acuitur.

Responso. Neque principes nisi plane tyranni viros bonos persequi solent, & in Republica plurimum sapientia, arq; audacia quam virtus populi fasces obtinet. Quis enim excuset Atheniensium Ostracismos, exiliaque virtutum à populo iussa; cum enim crebro libertatem amisissent, & grauissimā seruitutem ex repentino libertatis occasu experirentur ideo in omnes in quibus virtus, industria, eloquentia, opes eminere visa sunt insurgebant, nec vitia, sed vitiorum & periculorum suspensiones sustulerunt. De Romanis locupletem testem T. Quintiū habemus apud Liuium. *Discordia ordinum, est venenum huius vrbi.*

Libertas etiam sub principe est.

In repub. a scindit sape pessimus.

urbis. Patrum & plebis certamina, dum nec nobis imperii, nec vobis libertatis est modus; dum tader vos patriciorum, nos plebeiorum Magistratum, sustulere illi animos. Pro Deum fidem: quid vobis vultis? Tribunos pleb. concupiscitis: concordia causa concessimus. Decemviros desiderastis: creati passi sumus. Decemvirorum vos pertasum est: coegimus abire Magistratu. Manente in eosdem priuatis ira vestra, mori, atque exulari nobilissimos viros, atque honoratissimos passi sumus. Tribunos plebis iterum creare voluistis: creastis. Consules facere vestrarum partium, et si Patribus videbamus iniquum: patricium quoque Magistratum plebi donum fieri, vidimus. Auxilium tribunicium, prouocationem ad populum, scita plebis iniuncta Patribus, sub titulo equandarum legum: nostra iura oppressa culimus, & ferimus. Qui finis erit discordiarum? et quando vnam urbem habere, equando communem hanc patriam esse licebit? Victi nos equiore animo quiescimus, quam vos victores. Satisne est, nobis vos metuendum esse? Aduersus nos Auentinus capitur, aduersus nos sacer occupatur mons. Esquilias quidem ab hoste prope captas, & scandentem in aggerem Volsunum hostem nemo submoit in vos viri, in nos armati essis. Agite dum, ubi hic curiam circumfuderitis: & senatum infestum feceritis, & carcerem principibus impleueritis: in istis ferocibus animis, egedimini extra portam Esquilinam: aut, si ne hoc quidem audetis, ex muris vstre agros vestros ferro domum regneque vastatos, praedam abigi, sumere incensa passim recta. At n. communis res per hoc loco est peiore: ager vritur: vrbs obfidetur: belli gloria penes hostes est. Quid tandem priuatae res vestrae, quo in statu sunt? iam vnicuique ex agris sua damna nutiabiuntur. Quid est tandem domi, vnde ea expleatis? Tribuni vobis amissa redeunt, ac resistent? vocis verborumque quantum volueris, ingerunt, & criminum in principes, & legum aliarum super alius, & concionum. Sane Camillum exulem, Tarquinium Collatinum solo nominis odio ciuitate deiecit, Valerium quod in Velia, loco eminentiore domum exstrueret, suspectum; Scipiones in agro contabefactos alioque ingratae patriae vitio miseris habuisse exitus monumenta tradunt, ut principes moderati censeri debeant, si amulationem, & malignitatem ciuium praua iuuentium spectare libeat. Intuidium principatus auxerunt illi, qui urbem adhuc Spiritus praece libertatis retinentem violenta, & saeva dominatione feruere coegerunt indignis, quin & dominorum aspernitatem, coniuurationes, seditiones, sarcasmata calumniae incendunt. Nunc in Europa alia facies est, quanta est inter reges potentissimos contentio, ut viros fortes, nobiles, prudentes sibi iungant? Vnum Hispaniarum regem tor habere viros visu, ingenio, sapientia praestantes arbitror, ut vel centum nobis Scipiones praebere possent. Duces, equitum magistratos, Tribunos numerate, & tanta Monarchiae stabilimenta admiramini. Reges, inquit, viros fortes oderunt, eos e medio tollunt. Historiam nostris cultu appello, & viros praestantes tyrannide regum trucidatos inquiri. Nego vel vnum dari posse, nisi eos deplorare libeat, qui iniustitia, rapinarum, maiestatis, proditoris conuicti meritis poenas dedere. Nam de illis quos propter fidem religionemque veterem reges, aut principes nouarum opinionum sectatores excruciatos necauerunt, nunc non agitur: quamuis plures populus, & tyrannisci occiderunt.

§. 10. Obiectio septima. Rempublicam aequè nihil affligit, atque conuellit, quam legum, actionumque varietas, & inconstantia. Nam rectoris auctoritate omnino tollit, & deinde omnes suarum rerum facit incertos, ideoque principi infensos; quemadmodum enim in solo, quod crebris terramotibus quatitur, nemo prudens arcem exstruit, ita a principe, qui in diuersa rapitur, quia sua beneficia facile euertit, amicosque commutat, omnes alienantur atque recedunt, etiam qui beneficia accepe-

runt, timent enim ne quod potius proiecit, quam dedit mox mutata mente retrahat, damnumque ac contumeliam insuper adiciat. In populo vero maiorem esse constantiam probare nititur Nicolaus Machiauellus libr. i. de Rep. comparat autem principem solum legibus cum populo, qui nullis vritur legibus, & principem qui ex legum praescripto Rempublicam administrat, cum populo qui bonis legibus vritur, & utrimque praefert populi administrationem. Nam Romani quadringentos annos regnum insensibiliter oderunt, Populus raro homines manifesto improbos honore afficit. Populus lenius seuit, facilius placatur. Causa vero cur populi inconstantia a scriptoribus tradatur, non est illa, quod populus magis quam principes, peccet, sed quod populi vitia exaggerare tutius est, quam principum. Nullus enim singulatum hic carpitur.

Respondeo primo fateri Machiauellum se contra omnes scriptores loqui, ac docere. Inconstantem, variam, ac mutabilem esse populi multitudinem, cum Lilius multis in locis, tum ceteri scriptores testantur omnes vno fere ore. Quod igitur omnes scriptores, omnes rectores populorum testantur, negare vnus Machiauellus non debuit. Multo minus graui omnes accusatione percellere, quasi populi delicta exaggerent, ad principum vitia conuincant. Maligna est illa, & perpicue falsa calumnia. Nam qui in libero populo vixerunt, id testantur, quibus Monarchiam laudare, populum vituperare periculosum fuit. Plato, Populus ingratus est, leuiter alicuius rei satur, mutabilis, crudelis, inuidus. Sed summum populi patronum, summis a populi acceptis beneficiis contra suum populum detonantè audiamus Tullium. In imperita multitudine est varietas, & inconstantia, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio. Pro domo sua, & pro Plancio non comitis iudicat semper populus, sed mouetur populi tanquam plerumque gratia, cedit precibus, facit eos, a quibus est maxime amicitia, ut se ambitus; denique si iudicat, non delectu aliquo, aut sapientia credat illis, ducitur ad indicandum, sed impetu nonnunquam, & quadam non quibus etiam temeritate. Non est consilium in vulgo, non ratio, non fides, sed qui discrimen, non diligentia, semperque sapientes, ea quae populus rogant, fecisset, ferenda, non semper laudanda, duxerunt. Et pro Murena. Nullum fereum, nullus Euripus, tot morus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbaciones, & quantos effus habet ratio comitiorum. Dies intermissus vnus, aut nox interposita saepe turbat omnia, & totam opinionem parua nonnunquam commutat auramoris, saepe etiam sine vlla aperta causa, aliud atque existimamus, ut nonnunquam ira factum esse, etiam populus admittitur, quasi vero non ipse fecerit.

Hac Cicero de populo gentium Domino, de populo qui oratores, & homines prudentissimos de Republica concertantes quotidie audiebat, atque illis auditis, quod fieri volebat, suprema potestate iubebat. Causa vero tante mutabilitatis ab eodem recte pronuntiatur: Quod ex veritate pauca, ex opinione multa estimat. Pro Roscio Amerino. Quod honestum putant id quod a multis laudatur. Cum igitur imperitia saepe peccet, cum opinione ducatur, cum audiat homines imprudentes, & leues, necesse est saepe mutari, suisque tribunis honori, & quaestui esse.

At constans fuit populi Romani in affectatores regni, atque acerbum odium. Ita omnino, quia tyrannidem metuebant, id adeo libro de legibus Cicero testatur est, regnaturus enim erat sanguine multo, qui Romae dominatum occupasset. Verum duo in Republica Romana obseruari, quae ciuitati tyrannorum odium ingerebant. Primum exempla Sicularum, & multarum in Graecia urbium, quae barbara, atque immani tyrannide torquebantur, florebant tempore libertatis Romanae Persarum res, in Sicilia Gelo, Dionysii, in Graecia Periander, Thrasylbulus, Alexander

Popularis regiminis commendatio.

Popularis regiminis incommoda.

Populus inconstans est.

Stultitia

Qui opinio ne ducitur, saepe mutare sententiam debet.

Cum Romani regnum oderint.

Phereus, Triginta Tyranni Athenis, & vix eo tempore sine effera crudelitate ciuitas vlla regnabatur; hinc tantum odium regum, & in populo bellicoso prompta manus, & suspectorum vix audita causa, certe lite pendente, representata supplicia. Subleni enim & iusto rege non admodum desideratur extrema libertas, sed quiete, & tutela rerum plerique contenti viuunt, at cum sub ictu tyranni furentis impalescunt, qua occasio libertatis proxima aperitur, ea se, quamuis magno periculo, effundunt.

At populus etiam iratus, lenius sentit. Immo vero nulla belua est populo crudelior. Romana plebi obiciunt legati patrum, eos crudelitatis odio in crudelitatem ruere, prius quam liberi sint, dominari in aduersarios velle. Si populi crudelitatem aduertere animus est, vide Lemnios, Hetruscos, Samios, Athenienses, Lemniorum crudelitas in proverbium abiit, ut quod immanissime factum est, Lemnia manu factum dicatur. Hetrusci viua corpora mortuis iungebant, non enim solius hoc Mezentii facinus fuit. Samii Atheniensium frontibus noctuam, Athenienses Samiorum frontibus Samianam insulpebant, fædo exemplo inter cultissimos populos repensata crudelitate. De Romanis vis dicam: Crudeles fuere, & monstra quædam hominum primi imperatores, nullum excipio, nec Augustum, nec Titum: At illis tamen populis crudelior fuit, totos dies cruciatibus, & mortibus amphiteatri delectatus; & deinde illa ipsa monstra nonne ex ciuibz erant? An optimates Romani mites? Fimbria, Sylla, Tellestinus, Catilina, Pompeius, Pollio, Marius, quique fuere Marianorum, aut Syllanarum partium, id est omnes Romani. Pauci reges procerum Romanorum crudelitatem æquarunt. Sed omnes hos populus Romanus superauit, horrendis in Nerone, Caligula, Galba, aliisque principibus editis exemplis, in puniendâ crudelitate crudelissimis. Excessit medicina modum, perire nocentes, & innocentes. Est igitur & populus incostans, & crudelis. Inconstantie causa est, qui non iudicat, nec nisi leuibus mouetur, ideoque & in alteram partem mouetur, maior est tamen ignorantia populi, cuius maxima pars priuatis rebus occupatur. In populi iudicio nemo suum proprium dedecus metuit, aut laudem sperat, si male cedant consulta, aliis vnusquisque potius, quam sibi imputat. Cur enim sordidissimos hominum tangat reipublicæ fama? At ubi princeps est, ille & veretur statuere, quod continuo sit mutandum, & subitas rerum conuersiones, leges figendi refrigerique libidinem, necessario ut pestem Reipublicæ auersatur.

Populus Romanus crudelior rimperatoribus suis.

In populi iudicio quisque sui securus detrimenta imputat alius.

CAPVT XXIII.

Opinio Machiauell de Monarchia, & eius rationes refutantur.

Machiaellus sui iudicii est, non prudentis.

§.1. **H**ominis, qui proprii potius, quam prudentis iudicii est, opinionem describam & expendam, ut cunctis pateat, eum non modo rationatione uti infirma, sed contra historiarum fidem etiam peccare, atque ex illis, quæ penitus falsa sunt, conclusiones & consuetudines deducere, libro 2. cap. 2. de Repub. ita scribit. Difficilem arduamque de vicinis & aliis quibusdam populis victoriam populo Romano fecit amor conferuandæ libertatis, qui tunc multis gentibus infidebat. Eam enim tanto studio defendere conabantur, ut non nisi singulari quadam virtute vinci & superari potuerint. Cuius rei argumentum habes tot periculorum exempla, quæ adire eius defendenda ac recuperanda causa voluerunt: tot tamque horrenda supplicia de his sumpta, qui illius amittende causam præ-

buisent. Sed neque obscurum est ex lectione historiari, quanti faciendâ sit libertas, & quantum & quam difficile sit populo iugum seruitutis. Aetate nostra vnica gens supersere videtur, in qua libera ciuitates sint: olim per omnes mundi plagas extrabant populi liberrimi. In Italia certe inter Alpes, quæ Galliam Cisalpinam à Tuscia diuidunt, & extremâ Italia oram, multi liberi populi habitabant, Tusci, Romani, Samnites, & alij: nec mentio sit vllorum Regum, qui tunc imperarint in Italia, præter Reges Romanorum & Porcennam. De cuius stirpis excidio, etsi historia nihil memoria prodiderint: constat tamen Tuscia, cui Porcenna imperauerat, liberam fuisse eo tempore, quo Romani aduersus Veios bellum susceperunt, & libertate quidem tanta cum voluptate vsam, tantoque odio Monarchia appellationem habuisse, ut cum Veni defendendi sui causa Regem creassent, & auxilium à Tuscis contra Romanos petissent, Tusci re diu deliberata, tandem consenserint non ferendas eis esse supplicias, donec regem haberent: neque enim decere, iis auxilium ferre, qui patriâ vnus viri imperio subiecti essent. Sed neque, sine causa insidet populo omni libertatis amor. Testatur enim experientia, nullam ciuitatem suos ciues ditare, nisi tempore libertatis, neque etiam imperium comparare, aut publicas opes quocunque modo augere. Admiratione summa dignum est Athenienses Pisisstrati tyrannide liberatos, centum annorum spatio, vires atque potentiam suam tantopere augere potuisse. Et longe magis stupendum adhuc, Romanorum Rempublicam: expulsi Regibus, ad tantum fastigium peruenire potuisse. Eueniunt autem hæc omnia, quoniam non priuatorum opes, sed quæ publica communique sunt, Rempublicam augent: neque habetur ratio boni publici, nisi in liberis ciuitatibus, in quibus id, quod ex æquo prodesse potest omnibus aut quam plurimis, semper decernitur, nec habetur ratio paucorum quorundam, quibus nocere forte possit id, quod vniuersis prodest. Contra quam accidit in his ciuitatibus, quæ principis alicuius imperio parent. Nam in his plerumque fit, ut quod principi prodesse potest, vniuersis ciuibz noceat. Quo fit, ut si libera Respublica sub tyrannidem alicuius redigatur, inter leuissima detrimenta, inde sibi orta, hoc numerare queat, quod iam neque opibus, neque imperio amplius augeri queat: sed decrefcere etiam paulatim incipiat. Nam etsi concedamus Tyrannum hunc, sub cuius imperium redacta est, virum esse industrium & bellica virtute præstantem: tamen id, quod ille comparat, in suum priuatum commodum, non in vsus publicos conuertit: cumque neque ex subditis suis, quibus tyrannice imperat, deligere aufit excellentissimos quosque, ut eos præficiat rebus gerendis, metu mirum vindicta. Quod si quas præterea vrbes occupabit, non certe huic tributarias faciet: cum tyranni corpore sit, non augere potentiam subditorum: sed subditam sibi conseruari, & vires, quibus aliquando iugum excutere queant, opprimere. Quæ de re multa præcalare apud Xenophontem, in libro de tyrannide leguntur. Quæ cum ita se habeant, nemini mirum videri debet, veteres tanto libertatis studio flagrasse, & tyrannorum nomen tanto in odio habuisse: ut cum nuncius olim ad exercitum peruenisset, de interfecto Hieronymo Hieronis Syracusani nepote, ac milites omnes fremerent aduersus coniuatos: tamen cum paulo post nuntiaretur, proclamari libertatem publice Syracusis: deposita iracundia contra coniuatos, de modo conferuandæ libertatis deliberare ceperunt. Ob easdem causas ingentibus suppliciis per sepe affecti sunt ij, qui amittendæ libertatis autores esse voluerunt. Quorum exempla cum plurima extent, hoc loco vnum tantum, idque horrendum & memorabile adducam, quod in Corcyra accidit, tempore belli Peloponesiaci. Nam cum tunc vniuersa Græcia in binas factiones diuisa esset, quarum vna Atheniensium, altera Spartanorum amicitiam retinere conabatur: & in Corcyra optimates superiores facti, populo libertatem semel eripissent: factum est postea, ut populus Atheniensium auxilio aduersus denuo optimates deuicerit. Itaque, seruitutis iugo excusso, optimates omnes in magnum quendam carcerem incluserunt: ex eo denos deinde sigillatim educentes, tanquam illos in exitium mittere vellent, variis suppliciis afficiebant. Cuius rei tandem certiores facti reliqui in carcere, decreuerunt, quocunque modo se à tam fædis suppliciis defendere: facti igitur impetu in

Cupido libertatis a pud veteres.

Vrbes libera dicescunt.

Crudelitate vindicta libertas.